



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXI. Optimam Reipublicæ formam esse Monarchiam ex Aristocratia,
& politia temperatam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

habent multos inimicos, honoribus, & potentia munire, ac defendere.

§. 20. Decima septima lex. Plurimas tribus instituere, eas quam maxime miscere.

§. 21. Decima octava lex. Varia sodalitia opificum, negociatorum aliorum confociare.

§. 22. Decima nona lex. Licentiam permittere vitendi, ut quisque vult. *ἵδμεν δὲ τοὺς πολλοὺς τὸ ἐν ἀτάκτοις, ἢ τὸ ἐν ἀνισότητι.* Dulcius est enim multitudinē inordinate, quam temperanter vivere.

§. 23. Vicefima lex. Magistratus omnes sepere aliorum magistratuum custodia, ne quid possint invito populo, sic Romæ Tribuni plebis optimis sæpe consiliis intercesserunt, & specie defendendæ plebis Reipublicam turbant.

Omnes illæ leges si originem, rationem, exempla perpendamus parum firmare statum democraticum possunt, quocirca nulla democratia firma fuit unquam, necine perpetuis motibus. Præter Atheniensem & Romanam legi poterit historia Reipublicæ Florentinæ à Frederici temporibus, in quam maximas, celerissimæque rerum commutationes, prælia intestina, & ex turibus pugnas cum admiratione leges.

Nulla arte ea que pertinet ad res factas sunt diu fulciri possunt.

CAPUT XXI.

Optimam Reipublicæ formam esse Monarchiam ex Aristocratiâ, & Politiâ temperatam.

De optima Reipub. forma varij disputant. §. 1. **Q**UÆSTIONEM propono non in curia modo, & concione populi, sed in exercitationibus etiam scholasticis agitaram. Causa est quod vberem hominibus ingeniosis ac faciendis materiam præbet contra tyrannidem, anarchiam, seruitutem, pro libertate & æquitate dicendi. Alii itaque vnius nimiam potentiam, alii parium ambitionem, & discordias, alii vulgi confusioem, ac temeritatem exagitant; idque eo maiore plausu, quod rerum male administratarum nullo sæculo desint exempla, plebique etiam abundant. Verum nos hac de re politice, atque ad instituta Reipublicæ accommodare dicamus.

Certa analogia facienda est comparatio.

§. 2. Principio cum tres Reipublicæ formas inter se comparamus, atque optimam inquirimus, prudenti atque conueniente analogia id constat esse faciendum, neque enim vnius regiminis vitia ac damna, cum alterius virtutibus commodisque conferenda sunt, sed bona bonis, mala malis, minora bona minoribus, maiora maioribus, itemque mala æquali lance pensanda sunt. Optima Monarchia cum optima Aristocratiâ, ac Politiâ: mediocri cum mediocri, pessima cum pessima comparari debet. Cum eodem igitur gradu res steterit, vtra melior, firmior, felicior sit Reipublica? queritur. An scilicet gubernatio illa quæ describitur Iud. 2. 6. Dimisit ergo Iosue populum, & abierunt filii Israel, unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam: *Servieruntq. domino cunctis diebus eius, & seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, & nouerant omnia opera domini quæ fecerat cum Israel.* An illa seniorum Aristocratiâ sit præferenda monarchiæ Davidis, aut Salomonis, aut alterius regis commune bonum spectantis?

§. 3. Deinde non esse in hac disputatione minutim omnia, & mathematicè disputanda; sed quia de Republica agimus, morali & ciuili modo tractanda. Frustra enim ciuitatem aliquam Platonicam aut Vtopicam cogitatione informamus, & construimus, si nostris viribus in quibus multi sunt imprudentes, improvidi, improbi, & tales sæpe etiam

illi, quorum officium est iustitiam æquitatemque tueri, consilia damus. Neque enim hominem vnum, aut certum, definitumque tempus Reipublicæ institutor spectare debet, sed vniuersum tempus complecti; quanquam enim vnum aliquem optimum principem esse contingat, & optimates aliquando laudabiles, crebro tamen & mores in potestate mutantur, & crebrius bonis rectoribus mali succedunt. Itaque ea forma Reipublicæ constituenda, in qua magistratibus plurimum boni, minimum mali liceat, ut suis legibus, non virtute vnius hominis saluus sit populus. Non igitur legislator multa, & excellentia bona deferere timebit, ut periculosissima mala auertat. Nec ciuitatis illius præstantissimam formam arbitrabitur, in qua vnum aliquid egregie comparatum est, nisi ab omnibus vndique prouisum fuerit. Omnia mediocria potius eligenda, quam extrema cum periculo magno, nam ut Reipublica constituatur in qua nullum sit periculum, in tantis hominum cupiditatibus, perfidia, ambitione fieri non potest. De reipublica igitur optima forma dicam distinte.

In republ. constituenda nō vnus homo, sed totum tempus spectandum.

In republ. multa bona deferenda sunt, ut mala vitentur.

§. 4. PRIMO. Forma Reipublicæ despotica, cum omnium rerum absolutus dominus est princeps, illaudabilis est, iniqua, nec diuturna. Despoticam voco eam, qualis est hodie Turcici imperatoris, olim fuisse videtur Nabuchodonosoris, Regum Ægyptiorum, & nunc quorundam Barbarorum est. Incolæ Turcici imperii mancipia se imperatoris sui nominant, nemo fortunarum, aut vitæ securus est, omnia de nutu crudelissimi, superbissimi, libidinosis tyranni dependent, ipsam adeo auram, quam ducunt, magno domino referunt acceptam.

Παυλὸς καὶ δὲ αὐτὸς repro-batur.

Turcicum imperium.

Rationes adferre nihil est necesse, nemo enim est, qui non seruitutem fugiat, libertatem amplectatur, at in illo imperio omnes, etiam vxores & filii seruitutem seruiunt. Quin etiam diuina scriptura in maximis pœnis numerat; Seruitute premi, in libertatem autem asseri summi beneficii loco habet. *Isaia 19. 4. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium.* Et cum Iudæos Deus subiecisset Sefaco, siue Sefoltri Ægyptio, *Veruntamen, inquit, seruiet ei; ut seruiet distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum.* Neque occurrere potest fautor tyrannidis, & dicere: Possē absolutum dominum boni communis rationem habere, eamque reipublicam fore quasi magnam familiam. Nam si dominus est, suæ igitur vtilitati mancipia impendit, & omnes subditi, magni domini possessio sunt. Ideoque domini, non sua commoda curate tenentur. Non ignoro quarundam gentium eam esse barbariæ, ex nativæ tarditate, & ingenii stupore, ut ad seruitutem geniti videantur, quæ si bello capta sint iusto, ut in seruitutem redigi possint, non nego quin eundem habere regem, & dominum eas oporteat. Sed hoc ad paucos pertinet, cum in magna gente quamvis multi sint deditici, seruitutem tamen meriti sint pauci. Toti autem genti more regio est providendum, ut in religione, in humanitate, ac politia recte instruantur. Barbarorum autem est miserorum imbecillitate, & stoliditate ad compendia sua abuti.

In illo regno omnes serui sunt excepto vno.

Integra genti providere debet magistratus, & non serviliter eam premere.

§. 5. Non potest esse diuturnum hoc imperium, quia violentum, quia omnes illud detestantur, etiam illi qui summo in honore, ac deliciis viuunt. Extrema tentant, quorum miserrima fortuna est, & cum omnia meliora putent, illis, quæ patiuntur, leui momento impulsu, magnum aliquid audent, atque inopinum; quia etiam nihil sperant, non tamen habent, quod desperent, cum afflictissimo in statu manere sit desperantium, mouere ali-

quid, & turbare, animi non degeneris indicium.

Reuera sapienter à Seneca dictum: *Non diu potest, qua multorum malo exercetur, stare potentia.* lib. 3. de ira. cap. 16. Phalaris supra annos 32. regnavit, sed postquam primus furor exsevit, iustitiam & clementiam coluit. Ingenio & vi pollebat ad occupandum, moderatione opus erat ad retinendum. Quamquam autem omnes id mordicus teneant, *Pedibus tractum, non insidentem equo, relinquere tyrannidem oportere.* Livi lib. 24. Plerique tamen nimia potestate abusi deieci, & facile sunt excussi. Cum enim homo animal sit politicum, absolutissima Monarchia sit dominatus violentus, & conuenientior beluis, non est secundum naturam, ideoque perpetua esse non potest. Denique tanta potestas cum facile excedat limites rationis, populosque contemnat, sit ut corrumpat ipsam rempublicam. Natura liberi omnes sunt, seruitutis nomen clades induxit, ideo respublica in qua nulla libertas est, naturæ contraria est.

§. 6. Turcium imperium obijci solet, quod in Ottomannidarum familia multos iam annos perseverat, & subiectos tamen illi omnes iniquo ac graui dominatu premunt. Quo in regno nemo demilius, nemo periculosius seruit, quam is qui maxima in dignitate, potentiaque versatur.

Imperium
Turcicum
300. annos
stetit.

Equidem ferreum esse iugum Asiæ populis, multisque Europæ, & Africæ partibus impositum ab Ottomannis, & iam pene inueterasse, ut iustum imperium videri possit, tot gentium querelæ, vrbiumque gemitus testantur, Trecentos annos illa tyrannis iam perseverat: anno enim 1300. Ottomanni industria, & fraude constituta est. Sauum igitur & diuturnum est imperium, nec desunt, pro pudor! è Christianis qui suis principibus Machometana consilia suggerant, ut principatum robur, & diuturnitatem tam barbaris exemplis stabiliant.

Scelera ge-
tium tam
saeva tyran-
nide Deus
punit.

§. 7. Verum ego nequaquam illius Monarchiæ firmitatem inuictæ ac barbaræ dominationi tribuo, sed imprimis iustæ numinis vindictæ, gentes impias, apostatrices, impuras, regi nescias virga ferrea regentis, & contentis, qui & seruire tyrannum finit, & miseris gentibus consilia corrumpit, animosque adimit, ne in vltionem assurgant.

Initia Otto-
mannorum
ex alienis
disidiis.

Deinde vicinorum mutua similitudo ac bella Monarchiam illam omnibus formidabilem erexerunt. Quia vero multorum politicorum oculos, Turcorum diuturna potentia perstringit, rem penitus considerare mihi animus est. Anno 1300. Ottomannus Turcorum regulos discordia imbecilles variis praeliis cecidit, & è multorum spoliis magnus factus est ipse imperator, annos 27. imperio præfuit, vir magni consilii, & cum subita res occurrerent, temerariæ, sed felices tamen audaciæ. Ottomanni filius Orchanes, à patricidio duorum fratrum maiorum natu imperium auspicatus est, quod aliquanto melius gessit, quam incepit, magnam Imperii Constantinopolitani partem suo regno adiecit, non sua virtute, sed Andronicorum aui & nepotis, deinde Canitacuzeni, & Palæologi diuturnis disidiis, ciuilibusque bellis adiutus, nam illis scelere, perfidia, cæde mutua certantibus, facile destitutas auxilio regiones occupauit, & in auxilia partium tractus, quod magnatibus vitatum est, vicinorum calamitates in occasionem cresendi conuertit. Orchanes successit Amurathes, ambitione, laborum tolerantia, calliditate, disciplina militari, robore, æquitate, comitate, moderatione, blanditiis omnibus Turcorum ducibus superior, faciles ad illum aditus, mitis vultus, in ho-

Initia &
progressus

noribus distribuendis, compellendoque summa humanitas: Alia erat itaque ea tempestate imperii facies, & sub crescente monarchia si non illibata libertas, magna tamen securitas, nec tamen suo Marte imperium Constantinopolitanum fregit, sed vocatus à Palæologo, quem Græci proceres Bulgarorum auxilio adiuti premebant, eos deuicit, deinde iterum eius miles auaritia naucleri Christiani in Europam vectus facilem de Græcis victoriam habuit.

Turcici im-
perij blan-
diora fue-
runt.

Amurathis filius Baiazetes fratris Solymanni intersector, ferocior fuit, Sigismundum regem Hungariæ castris exiit, sed in eo prælio tam à nostris potius peccatum est, quam fortiter à Turcis actum. Galli enim dum inuitis ducibus inconsulte procurant ab equitatu circumuenti occisione delecti sunt. Hic anno 1394. à Tamerlane victus, & cauea inclusus fuit, magna tum clade Turcicum imperium affectum est, nam præter 140000. qui in acie occubuerunt, centum viginti millia ab equitatu obtrita sunt.

Græci ite-
rum inuadunt
Turcas.

Res collapsas Calepinus Baiazetæ filius restituit, collectis veteranis, & à Græcis principibus adiutus, firmavit deinde felici prælio contra Sigismundum Hungariæ, nam equitatus Christianorum temerario impetu in hostem delatus, antequam à pedite auxilia ferri possent, in fugam actus est, & pedestrem aciem turbatam hostibus sagittis conficiendam præbuit.

Calepini filium Orcanem Moses insidiis circumuentum occidit, Moïsen Machometes, qui primus regnum utcumque hætenus politicum durius, atque atrocius effecit, Regulos enim & principes Turcorum sibi quacunque causa suspectos, vi, fraude, armis oppressos ditionibus spoliavit, lateque patuit ea clades, ut paulo post principes nulli fuerint, sed mera mancipia, mortuus ille est anno 1419. Ex quo colligas ad illud usque tempus monarchiam Turcicam optimatum potentia temperatam fuisse. Sequitur alter Amurathes quem Ioannes Hunniades quinque præliis vicit, quem Scanderbeus Crozæ obsidione depulsum mori coegit. Clades intulit Græcis, sed eorum tanta erat ignauia, ut pugnaturi nullum è sua gente ducem, sed Mustapham Amurathæ patrum deligerent, & eo victo, alium Mustapham Amurathæ fratrem adolescentem annorum 13. exercitui præficerent. Quid igitur mirum, si cæteris Christianorum oculis, aliis etiam prodentibus, Græcis vero imperii sui fortunam in exulem puerum conferentibus, creuit Amurathes?

Tyranni-
dem aggra-
uare cepit
Calepinus.

In perfectam tyrannidem degenerauit hoc imperium sub Machomete secundo, qui Constantino-
polim anno 1453. occupauit. Non suorum Turcorum virtute, sed Illyricorum, Walachorum, Dardanorum, Seruiorum, Bulgarorum perfidioso labore, & auaritia, hæ enim gentes illi militatum spe prædæ venerant. Ille in uos saeuus, omnis iuris, & iurisiurandi, numinumque contemptor, absolutissimum tyrannum egit, sublato amulo rege Constantinopolitano, mortua est illa belua anno 1487. ac tum patuit, quod in nullo consilio regnum illud fuerit institutum. Nam de successore purpurati Bassæ, & Ianizari disenserunt, ut ad pugnas, & cades veniretur: Ianizari Baiazethen, admittentibus generis illius, imperatorem dixerunt. Alii Baiazethis filium Corchutum elegerunt, ut puero rege, ipsi rerum domini essent. Sed patri celsit adolescentens, & largitione placati milites. Non minus bellum ei frater Gemes mouit, & tribus præliis victus, ad Christianos profugit. Clades multas intulit Baiazethes Venetis, sed mox repressus pacem facere coactus

Imperium
Turcicum
annos 119.
optimatum
regimine
tempera-
tum.

Perfidia
Christia-
norum vi-
ctor Turca.

coactus est; à Persis vero maiores pertulit, ut parum abfuerit, quin una expeditione Asiam septentrionalem amitteret. Interim tres eius filii, Selymus, Acomarthes, Corchutus de imperio certant, Selymus ope Ianizatorum obtinuit, & veneno patrem necauit, fratrum filios, non modo fratres interfecit, Persas attriuit, sed amissis 100000. suorum.

Selymum secutus Solimannus, & Solimannum Selymus tertius, qui sauitia, & rapacitate maiores iuperarunt.

Aetas tyrannidis Ottomanica.
§. 8. His bene perspectis annos 160. durasse hoc imperium comperimus, ab eo tempore, quo absolutissimum, & plane tyrannicum esse cepit. Sed tamen infelicitissimum fuit. Primo in ipsa stirpe Ottomanica, ex qua vnus regno destinatur, vel pellicis alicuius blanditiis, vel tumultu militari, cetera omnis domus sua morte securitatem regnanti prestare cogitur. Fratrum, & nepotum turba mactatur, ut vnicus sine metu imperet. Nec id tamen vnquam contigit. Nam filii Baiazetes, & posteri bellicis ciuilibus atque externis attriti sunt.

Miseria domus Ottomanica.
Mala itaque perpetua sunt in hoc regno. Nam primo cum multi infelices, ut pote in magna plurimum coniugiorum licentia, omnes tamen spem imperii concipiunt, vel de fauore parentis, vel militum praetorianorum, deinde spem illam acuit, adiunctus mortis timor, cum inter solium, & sepulchrum, inter diadema, & laqueum nihil in medio sit relictum. quid igitur metuant morituri? Timor extremus fiduciam parit, & honesta glorioseque mortis ambitum. Tertio, Metus ille, & spes, filios patri suspectos, & inensos efficit, cum enim vnum praeferi aliis minimo signo didicerint, iam à patre se morti addictos arbitrantur. Addo quod totam domum imperatoriam ad vnum caput redigant, cui si humanitas aliquid contingat, iam aut nullus, aut puer haeres futurus sit. Subditorum vero innumera ex eo calamitates oriuntur, agricultura omnino desecit, regiones ita spoliant, ut vix vitae necessaria illis relinquuntur, nemo agricolarum de peculio cogitat, tam nobiles, tam fertiles agri longe lateque siluescunt, & iniuria regnantium omnia ad vastitatem tendunt. Arma omnibus adimuntur, solum paucis quasi latronibus omnia permittuntur. Ex quo constat regnum hoc debilissimum esse, & vicinorum discordia sterisse, si sterisse est tot calamitatibus, & caedibus fedatum esse. Concludo igitur Monarchiam illam absolutam, & de spoticam perniciosam, breuem, metus, & sanguinis plenam esse, omnibus inuadentibus obnoxiam.

Monarchia Aristocratica politica probatur.
§. 9. Alterum igitur statuendum est, Monarchiam temperatam, in qua optimatum, siue senatus valeat auctoritas, in qua ciuitatum atque aliorum ordinum sit nonnulla potestas, praefendam esse. In qua tamen hoc cauendum ne precario rex imperet, sed ubi iuste, & secundum leges iudicari, summa illius sit potestas; si enim vigor potestatis summae marcescat, necesse est subditorum res agi, & ferri; cum sine metu legum continuo potentiorum iniuria crescant.

Ratio prima est, quia sic videmus plerosque censuisse sapientes. Plato in Politico. Aristot. lib. 3. polit. cap. 5. & lib. 8. cap. 10. Herod. lib. 3. Quin omnibus illud Homericum probatum est:

Ὅν αἰεὶ δὴν ἄνθρωποι βασιλεύουσιν, οὐκ ἔστιν ἔσθ'.

Non est bonus plurium dominatus, vnus dominus esto.

Pro Monarchia est factum.
Philo libro de confusione linguarum, Plutarchus in septem sapientum conuiuio, item de Mo-

narchia, Oligarchia, & Democratia, Demosthenes contra Androcionem, & Timocratem, Mæccenas apud Augustum, Philostratus apud Vespasianum, Illocrat. in Nicocle, Stobæus sermone 45. Eadem etiam sententia fuit sanctorum Patrum. Iustin. Exhortatione ad gentes, Cyprian. de Idolorum Vanitate, Athanasii oratione aduersus idola. Hieronymus epistol. ad Rusticum Monachum, D. Thom. libro quarto, contra gentes. Neque vero facile dissentientem inuenias, etiam ex illis, qui in libera Republica educati honores, & Magistratus gesserunt. Cicero sane, Olim vnus imperium ciuitati placuisse fatetur, nec regale ciuitatis genus regni, sed regis vitium repudiatum esse. lib. 3. de legibus.

§. 10. Nec modo ea est sapientium mens & consensus, sed orbis vniuersi vsus. Omnes enim gentes antiquae primum regibus paruerunt. Cicero lib. 3. de legibus. Iustinus lib. 1. Principiorum gentiumque imperium penes reges fuit. Seneca, Secundum naturam esse regale ciuitatis genus arbitratur lib. 1. de clementia. Natura enim commenta est regem: quod ex aliis animalibus licet cognoscere & ex apibus, quarum regi amplissimum cubile est, medioque acutissimo loco. Præterea onere caret, exaltor alienorum operum, & amisso rege totum dilabitur examen.

Idem nobis antiquitas, sacra ac profana historia, auctoritate sua consignauit. Postquam enim viuientibus adhuc Noe, eiusque filiis linguarum confusionem infana turris machinatio induxit, singulae familiae reges habere coeperunt. Quin etiam Nemrod filius Chus, nepos Cham ad ipsam arcam genitus, quæ totum genus humanum angustis spaciis incluserat, regnum meditatus est in finitimos. Ille enim potens esse cepit in terra, & robustus venator coram Domino. certe à diluuiio vsque ad Phaleg anni sunt 101. at ex eo nomen ille accepit, quod in diebus eius diuisa sit terra. Genes. 10. 25. à Phaleg ad Abraham anni sunt 191. at tum iam omnia plena regibus, & vrbibus erant, imo iam regum fœdera nolebantur, & seruitia. Reges enim Chanaanitis annis duodecim seruiuerunt Chodorlahomor regi Elamitarum, cui erat rex Sennaar, seu Babylonis confederatus. Elamitæ autem Persæ sunt, ut mirum sit Noacho, atque adeo Elemo, Iapheto, & Chamo superstitibus, imo Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg qui sub vno auctore, sub vno tecto educati erant, spectantibus, tanta bella gessisse nepotes, ut à Perside vsque venerint cum exercitu hostili, Raphaim, Carnaim, Zuzim, Emim, Chorthæos percusserint, vsque ad solitudinem Pharan proruerint.

Cum igitur non amplius sub vero patrefamilias viuerent, non tamen sine vnico magistratu esse voluerunt, sed viros quorum integritati, prudentia, fortitudini fidebant, sibi præfecerunt. Nec ea consuetudo postea esse deliit; ita 1. Reg. 8. Israelitæ regem postulant. Constitue nobis regem, sicut & vniuersæ habent nationes. Libertas rerum publicarum in Græcia, & paucis Italicis, ac Punicis vrbibus fuit. Pauci enim libertatem, magna pars iustos Dominos volunt.

§. 11. Altera ratio qua nobis Monarchia commendatur, est diuturnitas. Assyriorum regnum 1240. Medorum 260. Persarum 233; & post Græcorum abolitam potentiam 480. Sparta 500. Moabitarum, Ammonitarum, Egyptiorum plurimos annos perseuerarunt. Omnium vrbium quæ Aristocratiam, aut Politiam tenuerunt, breuissima fuit gubernatio, secuta tyrannis vel exitium. Crudelitate, auaritia, contumelia infames tyranni in Græcia, Italiaque fuerunt, quia breuem

D 4 popu-

pientum sententia.

Ita olim in vsu fuit.

Initia regnorum.

Monarchia stabiles sunt

populi potentiam graui seruitio atterendam putabant.

Roma perpetuo tumultuatum est.

Libere fuere Siculae ciuitates, sed per temporum interualla tyrannis in pradam datae. Quoties Athenae, Corinthus, aliaeque Graecorum vrbes tyrannos passae sunt? Roma vero annos quadringentos, quibus inter reges, & Caesares libertatem se habere professae sunt, nonne quasi in perpetuo certamine, ac tumultu vixit? hinc secessiones, hinc fracti consulum fasces, & odio imperatoris hosti praedita victoria, hinc tribunitia potestas, coniugiorum, & honorum communicatio, Tribuni militares, Decemviri legum scribendarum, dictatores magistrum equitum. Quis annus absque tumultu, nisi cum partibus ab hoste communis timor impenderet, transactus est? Inter se itaque collii sunt Romanae vrbes incolae, donec ad vnum Respublica perueniret. Sola Venetorum respublica cum optimatum sit, iam annos mille numerat, quod est vnicum Aristocratiae diuturnae exemplum. Verum cum ducem, quem magnum vocant, habeat perpetuum, tam mihi Monarchicum, quam Aristocraticum imperium videri solet.

Venetia Respublicae specie Monarchiam tenet.

Potestas ducis Venetorum.

Quaquam enim penes senatum seu grande consilium decernendi, & iubendi sit auctoritas, Dux tamen est senatus, & totius Reipublicae caput. Ac primo quidem magistratus ille seu principatus est perpetuus, quod sane Aristocratiae amatores plurimum reformidare solent, quamobrem Antonius ad hominum conciliandas voluntates dictatoris nomen & potestatem in perpetuum lege lata sustulit, quod Iulius Caesar perpetuam dictaturam recepit. Deinde, Ducis Veneti est senatum cogere, & consulere: quaquam ipse nihil nisi ex decreto senatus statuatur, quod perinde est ac si Roma perpetuum consulum gereret. Quod sane genus Reipublicae de regio gubernandi genere plurimum trahit. Tertio, cum Venetiis sint facile sexaginta nouem siue Consilia, siue Tribunalia, & iudicum ordines, his omnibus dux interesse, & praesse potest, quod quanti sit in Republica, nemo ignorat. Quarto, Honos illi regius, siue comitatum publicum, siue aliorum erga eum obseruantiam spectes, deferunt. Denique quanta sit ducis potestas, optimatum timor ostendit. Nam aetate profectum, moderatum, Reipublicae amantem, atque animi ciuilem hominem ad hoc fastigium euehere solent, ac summa cura eniti, ne vel populi fauore sibi conciliandi, vel principum amicis aucupandis potentior effici queat. Si enim Sylla, vel Marius, vel Iulius quispiam eam qua Venetiarum dux praeditus est, auctoritatem consequeretur, haud difficili euentu totam sibi Respublicam subderet, qua in re haud parum adiuuaretur ipsa decretorum forma, quae omnia ducis nomine perscribuntur, atque euulgantur. Haec qui perpenderit, Aristocratiae diuturnitatem, ex Monarchiae coniunctione esse, facile intelligit; Nam perpetuitas dignitatis, ius conuocandi, & consulendi senatus, ius omnia consilia, conuentusque iudicum, cum dignitate ac prerogatiua adeundi, honos ac splendor principalis, decretorum suo nomine edendorum potestas tam sunt propria Monarchiae, vt Romani singula, quasi regia detestati sint. Quid aliud Pompeius, quam princeps senatus sed regnantis esse cupiuit? Quid Caesar, nisi vt absentis ratio haberetur? Quanta inter Socerum Generumque bella exorta sunt, quia ferre non poterat

Venetia comparata Romanis Monarchiam habent.

Caesarue priorem, Pompeiusue parem?

Curtor vulneribus ante statuam Pompei immola-

tus Caesar? Quia dictaturam perpetuam retinebat. At vero magnus dux Venetiarum, seu consul, seu dictator perpetuus haberi merito debet, cuius nomine omnia peraguntur, ad quem in Concilio suam legati orationem dirigunt. Cui etsi non omnino dictatoria est potestas, regius est tamen honor.

Itaque hac in re Venetam Rempublicam praepo- no Romanae, libera est enim innumeris periculis, quae ex ambitiosorum concertationibus oriebantur, neque in illa

Annua venali redeunt certamina campo.

§. 12. Tertia ratio cur Monarchiam praferam est, quod in ea maxime, facillimeque concordia, coniunctioque animorum conseruari queat. Nulla respublica sine concordia potest consistere, vix vlla sine discordia interit. Sub vno facile seruatur vnitas. Itaque etiam in Ecclesia sua Deus voluit vno gubernatore, ac capite constituto disensionem ac schismatum occasiones tollere. Eadem fuit etiam mens ac sententia politicorum. Tacitus i. ann. Discordant patriae non aliud remedium esse, quam si ab vno regeretur. Causam nobis natura ipsa dicit. In optimatum namque regimine, sparsa est in plures potentia, quae cum diuersis sententiis, atque affectibus iactetur, Rempublicam distrahit, vbi vnus imperat, singulorum animi se dictis illius accommodant, nec ciuitatem diuidere queunt, vni maiori imperio subiecti.

Venetia Respublica melior est Romana.

Potentia diuisa inter discordes Rempub. euerit.

Optimatum discordias in vrbe Romana si spectemus, eas & perpetuas, & perniciosissimas inuenimus. Athenis vbi populare ciuitatis genus praevaluit: tanta fuit principum discordia, ac simulas, nemo ex optimis viris vt exilium, aut multam effugerit. Semper enim potentium certamina sunt, nisi singulorum vires, cupiditateque maior aliqua potestas coerceat, ac vinciat, raro duo consules collega, rarissime decem tribuni concordēs fuerunt. Ciuitates autem Italicae Friderici temporibus, & deinceps continuis magistratuum contentionibus pene exhaustae sunt, dum inuicem exilia patiuntur, atque inferunt. Florentiae vicini contra vicinos e turribus pugnabant, Mediolani nobiles & plebs in se mutuo saeuiebant, Parauini, Veronenses, alique populi odio, ac fastidio suorum ciuium, externos iudices malebant.

Roma & Athenis perpetuae discordiae.

§. 13. Quarta ratio. Nec modo concordia facilius custodiri potest, sed etiam iustitia, si vnum imperii corpus vna anima regatur? Cum enim optimates imperant, sese mutuo respectant, sibi ignoscunt, aliis alii indulgent, vt pari ipsi impunitate fruuntur, interim

Iustitiam non recte administrant optimates.

Quicquid delirant reges, plebs tuncur Achini.

Regibus maior est cura, efficacior auctoritas ad iustitiam conseruandam, minor causa eius violandae. Nam vel ius princeps ipse dicit, atque ita haud facile ab integritate, ac rectitudine discedit, vel iudices constituit, quos rationis reddendae cura facile in officio continet, nec opprimere reum, nec gratificari agnatis, aut potentibus possunt, cum appellatio ad principem, & sententiae lata examen legum obseruantiam non modo suadeat, sed praeruaricatori etiam poenam praesentem denunciet. Nam improbos iudices facillime plebs tuncur principes, quamuis nec ipsi iustitiae amantes sint: cuius rei causa est quia summa gloria sua, in eos tanquam publicos latrones animaduertunt; deinde amore quoque subiectorum sibi conciliant, tanquam praesidium, quos omnes oderunt, sint & ipsi inimici, denique aeterni mortibus & con-

Reges facile iudices conseruunt.

confiscationibus pecunioforum magistratum locupletare antiquum est. Cum igitur a regibus constituti iudices, non ignorent sibi aliquando subeundum iudicium, magnopere cauent, ne sua damnatione famam principis celebrare, & fiscum augere cogantur. Durum est despoticum Ottomannidarum imperium, sed tamen in tam cruda tyrannide, provinciarum atque urbium praefecti, omnem iniustitiae speciem vehementer reformidant, multique in singulos annos ob minimas noxas publicatis bonis trucidantur, quae facit crudelitatem Tyranni populis facit tolerabiliorem, cum tyrannidis administratos puniri intelligunt.

Quanta vero indignitate, violentiaque inter optimates iustitia, legesque vexentur, nemo facilius aestimavit, quam is qui Romanorum gesta perpenderit, qui gentium iustissimi habebantur. Quid passa sit apud illos terrarum Dominos iustitia ex Romano consule audiamus. Inuenerant, inquit, Orat. 5. in Verrem) iam opinio perniciose reipublica, vobisque periculosa; quae non modo Roma, sed & apud exterarum nationes, omnium sermone percrebuit, his iudiciis, quae nunc sunt, pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari. Nec sine causa iactabat Verres; illis esse metuendum, qui quod ipsi solis satis esset, surripuisse, se tantum rapuisse, ut id multis satis esse possit: Nihil esse tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit.

Nec dubitavit ille hoc publice apud Quirites profiteri cum pro lege Manilia disputaret. Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio sumus apud exterarum nationes, propter eorum, quos ad eas per hos annos, cum imperio missimus, iniurias, ac libidines. Quod enim sanum putatis in illis terris, nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam, ac munitam fuisse? Urbem iam locupletem ac copiose requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Et: Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione contra socios, atque amicos? Quae civitas est in Asia, quae non modo Imperatoris aut legati, sed vnius tribuni militum animos, ac Spiritus capere possit. Exclamat idem ille. Nulla in iudiciis severitas, nulla religio, nulla denique iam existimantur esse iudicia. Nihil vero magis iudicia corrupta ostendit, quam quod Cicero Roma pro concione commemorare ausus est. Arbitrari se, fore ut nationes externa legatos ad populum Romanum mitterent, ut lex de pecuniis repetundis, iudiciumque tolleretur. Si enim iudicia nulla sint, tantum vnumquemque ablatum putant, quantum sibi ab liberis suis satis esse arbitretur: nunc quod cuiusmodi iudicia sint, tantum vnumquemque auferre, quantum sibi, patronis, advocatis, praetoribus, iudicibus satis futurum sit. Hoc profecto infinitum esse, se avarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissima victoria non posse. O commemoranda iudicia, praeclarumque existimationem nostri ordinis, cum socii populi Romani iudicia de pecuniis repetundis fieri nolunt, quae a maioribus nostris, sociorum causa comparata sunt. Ita consul Romanus de sua Republica.

Causa tantae improbitatis ac turpitudinis fuit forma Reipublicae Aristocratica: Cum enim optimates vel sibi cognatione, vel affinitate iuncti essent, cum iisdem in culpis haerent, aut ab aliis sibi indulgeri desiderarent, cum avari, egentesque, & prodigi viverent, denique cum per flagitia, & adulationes favorem potentium sibi conciliarent, populum, provincias, Rempublicam, postremo se ipsi perdere. Neque enim orbis terrarum, qui cuiusvis etiam avarissimi cupiditatem explere posset, tot millibus sufficiebat, praefertim cum in singulos annos novi praedones mitterentur, qui effectus patrimonii, ius vexandarum, spoliandarumque provinciarum po-

puli suffragio se obtinuisse arbitrabantur. Difficilis est igitur res in optimatum, & populi imperio iustitia, facilius illa etiam sub iniquo rege custoditur. Vnus etiam vel copia, vel fastidio frenat cupiditatem facilius, quam multi.

§. 14. Sexta ratio. Quanquam vetus sit querela de raritate principum bonorum, & aut malignitate vulgi libenter magistratui obrectantis, aut veritate iactetur: omnes bonos principes vni annulo inscribi posse; plures tamen respublicas a regibus, & Monarchis, quam optimatibus, aut populo recte administratas invenio. Nam facilius unus recti honestique tenax invenitur, quam multi. Catonis imprudentiam Cicero reprehendit, quod tanquam in Platonis republica, ita in faece Romuli sententiam diceret.

Quis ergo in tam vasta curia, in tanto numero patrum conscriptorum exercitu vir bonus erat? Egone Catonem quidem ipsum in bonis numeravero, idque facio Tullio contentiente, qui in Epistolis Catonem in se malignum fuisse queritur, at bonus senator non est, qui in patrem patriae malignus est. Cum igitur magna sit bonorum, constantium, prudentium raritas, necesse est, ubi ad magistratus adhibentur multi, ab improbis, leuibus, stolidis ut plurimum eas respublicas administrari. Idque eo magis quod ambitu, largitione, fraude, audacia, violentia, viam sibi mali aperiant, boni sola virtute nituntur, quae tamen crebro calumniis opprimuntur saepe exola est. Quod vero insignium virorum multitudinem hodie videmus in quibusdam Rebuspublicis, id Christianum fidei opus est, non politicae disciplinae.

§. 15. Septima ratio ducitur ex natura populi, qui timere regem, invidere optimatibus solet. Rex enim quasi Deus quidem supra invidiam positus videtur, optimates ciues, & suo modo aequales videntur, liuor autem inter eos, & similes exardescit. Hinc in populum melius animatus esse rex solet, quam optimates, & e contrario populorum mirabiles in suos reges affectus historia tradunt. Quanto eos gaudio excipiunt, quo fletu mortuos prosequuntur? Nempe illis fidunt, optimates suspectos habent. Regis est enim populum tueri, & fere non nisi potentibus formidabilis est. Ελευται δὲ (inquit Aristoteles) βασιλεὺς ἢ φύλαξ, ὅπως οἱ μὲν κερταμένοι τὰς πόλεις, μηδὲν ἀδικῶν παύσωνται, ὁ δὲ δὴν μὴ οὐδὲν κατακτείνῃ. Regis officium est, ut curet, ne opulenti iniuriam patiantur, populus vero nulla in re contumelia afficiatur. Hoc ut plurimum faciunt principes, cum in alio Reipublica genere, diuites per tenuiorum vexationes contumeliasque ad immensas opes aspirent, at vero cum firmior, meliorque sit illa civitas, in qua rector, & subditi mutua caritate concordiaque iunguntur, quam illa in qua magistratus oderunt subiecti, non est dubitandum, quin Monarchiam ceteris Reipublicae formis praeferi oporteat.

§. 16. Octava ratio. Nihil turpius, nihil perniciosius est in republica, quam magistratum contemptus, is in regno rarissime, in populari ac magnatum regimine semper locum habet. Princeps si lenis, stolidus, pauper, meticulosus, libidinosus est, contemni solet. haec enim vitia populorum magis dicteria, & despicientiam quam odia excitare solent, quia tamen hisce improborum, & seditiosorum audacia roboratur, facile princeps ille enervatur. Precario enim imperat, cuius viri boni miserentur, quem despiciunt mali. Sed in principe seu Monarcha quanquam haec omnia insunt, non tamen facile agnoscuntur, aut aestimantur.

Multa

Raritas bonorum principum, sed maior optimatum.

Forma senatus Romani.

Rex timeatur, optimatibus invidetur.

Regem populus amat.

Optimatus invidet.

Optimates facile contemuntur.

Multa per se, multa per suos animose prudenter, magnifice, caste agere potest, quæ famam honesti, & regni firmitatem conciliant.

Alexander Magnus homo turpissimus Darii coniuge, ac filiabus, pudice asseruatis magnam laudem assecutus est. Claudius levis, stolidus, timidus, magnitudine imperii multo tempore tutus fuit; nam tantam potestatem etiam in contemptissimo homuncione veneratur, ita initio regni sane gratissimum fuit. Quod si in optimatibus ista dedecora deprehensa fuerint, sine metu vulgantur ab æmulis, auidissime accipiuntur à populis, & cum nihil sit, quo auctoritas retineatur, summo apud omnes sunt contemptui, idque adeo etiam magis in Democratia, cum vitia inter domesticas fordes nata, clauum reipublicæ inuadant, & mimos ac securas potius, quam rectores populis ostentant.

Monarchia vires vnita. §. 17. Non ratio. Monarchia vires vnitas habet, alia reipublicæ genera dissipatas. Themistocles inuidet Aristida, & eius trophæis angitur, Pompeiū vrit Cæsaris gloria, & vel Galliarum amissione locorum perderet, Cato Scipionem allatrat, Hanno Hannibalem, maluntque victoria carere, quam ciuem victoria gloriosum cernere. Hinc nunquam Respublica optimatum, aut popularis sibi *aut ipsius* sufficiensque est, sed cum opus est potentiam exercere, cum tumultu aut bello petitur, Monarchiam designant. Bello ducem vnum præficiunt: in periculo dictatorem consul dicit. Hanc igitur partem concludamus, ac nobiscum statuamus. Vnum in mundo Deum, vnum solem, vnum in vna republica ducem esse oportere. Sed nunc tamen eos qui aliter sentiunt audiamus.

CAPVT XXII.

Rationes pro optimatum, & populari regimine infirmas esse.

Tyranni Monarchiā insaniunt, §. 1. **V**T multa contra regum, principumque imperia à viris doctis, & politicis adferantur, faciunt tyrannorum importuni mores, & vitia, quasi ego Mezentios, Phalaridas, Neronas, Veilinos, ac similia humanæ naturæ dehonefamenta defendam, quorum memoriam ne quidem hæere in principum animis oportebat. Itaque principem benignum, moderatum, prudentem, & frugum malo, quæ nobilium aut plebis dominatum. Tyrannum detestor, absoluta Scytharum, Persarum, Turcarum imperia, & *παυσανίας* repudio, temperatam legibus, astrictam moribus, fultam optimatum auctoritate, obnoxiam iustis populi boni voluntatibus Monarchiam prædico, obligatam reciproco iureiurando fidem probo. Et vt verbo dicam. Hanc reipublicam probo, in qua quam plurimum boni potest princeps, & quam minimum mali, in qua leges plus possunt, quam potentia, in qua cum rege æquo iure priuatus contendere potest, in qua cadere causa, & possessione priuata deici summa potestas non iudicat sua maiestate indignum. Magna est illa, ac plane regia dignitas Francorum, quod cum de possessionibus lis oritur, æquo iure respondeant subditis, eumque regem qui primus legem tam salutarem tulit, supra regnum fuisse existimo. Hæc si recte perpendimus; pleraque iam argumenta contra Monarchiam concidisse reperiemus.

Sed nunc optimatum & plebis, vt videri volunt, defensores causam dicant.

§. 2. Primo obiicitur nobis auctoritas diuina, Deus enim Iudæis regem petentibus grauissime ira-

scitur. Audi, inquit Deus, i. Reg. 8. 7. Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua quæ fecerunt, à die qua eduxi eos, de Aegypto, vsque ad diem hunc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem eorum audi. Et cap. 11. 16. Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam faciurus est dominus in conspectu vestro. Nunquid non mensus triticum est hodie. Inuocabo dominum, & dabit voces, & pluias, & scietis & videbitis, quia grande malum feceritis in conspectu Domini petentes super vos regem. Et populos quoque delictum suum tempestate, & tonitru attonitus agnouit. Ora, inquit, pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur, addidimus enim vniuersis peccatis malum, vt peteremus nobis regem. Malum igitur est regem petere, & regnum à Deo non est, nisi irato, & puniente. Et sane grauis est, quæ additur ratio. Me abiecerunt, ne regnem super eos. Cum igitur in regnum exaltatur homo mortalis, à regno Dei receditur, & rex immortalis throno suo deturbatur.

§. 3. Haud difficilis est hæc quidem in causa responsio. Diuino enim oraculo constituendi regis conceditur facultas, Deut. 17. 15. Et Gen. 17. 49. Promittitur Abrahamo fore vt ex ipso reges nascerentur, non esset autem promissionis vlla gratia, si omne regnum esset iniustum, & reges instar latronum detestabiles. Denique non iussit Israelitis ad Aristocratiam, vel Democratiam redire, sed regnum esse iussit, multosque reges insigni virtute, regnandique scientia dedit. Quid igitur petendo regem peccarunt? Primo in Samuelem Prophetam, ducemque suum ingrati erant, quem optime de se meritum, optimeque gubernantem Rempublicam, potestate se abdicare coegerunt, & regi subdiderunt. Deinde à Dei voluntate, imperioque recesserunt, cuius iussu atque auctoritate tum Samuel, tum alii iudices dati erant, quorum minor erat, quam regia potestas; nam quæuis Monarchicum hoc esset regimen, valde tamen magna erat optimatum & populilibertas, adeo vt quisque quod sibi rectum esse videbatur, id faceret. Formam Reipublicæ igitur à Deo constitutam importune mutare cupierunt. Tercio causa mutandæ reipublicæ sufficiens non fuit. Quanquam enim filii Samueles à patre degeneres, non ambulauerunt in viis eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium, poterant tamen illi à Samuele & republica corrigi, de dignitate deici, iudicesque, quorum esset spectata integritas, sanctitasque, constitui, non autem necesse erat, eam ob causam, nouam Reipublicæ formam inducere. Quasi non possent & reges iudicium pervertere. Quarto, Deo diffidebant, eiusque beneficiis erant ingrati, vano enim timore Ammonitarum regem poposcerunt. Exprobrat hoc illis Samuel i. Reg. c. 12. Nunc ergo state vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris, quomodo Iacob ingressus est in Aegyptum, & clamauerunt patres vestri ad Dominum: & misit Dominus Moysen & Aaron, & eduxit patres vestros de Aegypto: & collocauit eos in loco hoc. Qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sisare magistri militiæ Hafor, & in manu Christianorum, & in manu regis Moab, & pugnaverunt aduersum eos. Postea autem clamauerunt ad Dominum & dixerunt, peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & seruimus Baalim & Ashtaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruimus tibi. Et misit Dominus Ierobaal & Badan & Samson, & Barac, & Iephthe, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confideret. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset.

Iudæi regē petendo peccarunt.

Ius regni datum est Iudæis.

Iudæi Samuelem ingrati fuerunt.

Deo non diffidebant.